

Eodem modo præcisè soluitur quæstio hæc: Fac de 10. duas partes quarum 2. cu. vnus sit æqualis 2. quadratæ alterius. Igitur 2. cubica & quadrata cum sint vna, erunt 1. co. Igitur partes erunt 1. cu. & 1. cen. igitur 1. cu. p. 1. ce. æquatur 10. & valor rei erit vt prius cuius cubus & census erunt partes quæsitæ.

34 Trigesima quarta, Quidam dixit quantum dotis attulit Lucretia Ælio: respondit ille, duc. 1000. plusquam haberet Ælius in facultatibus. Iterum interrogauit ille, quantum habuit Ælius in facultatibus. Respondit alius aurei facultatum Ælij quadrati sunt 20000. m. quàm aurei dotis Lucretiæ quadrati, quæritur dos Lucretiæ & facultas Ælij. Scias quòd hæc est pulcherrima quæstio quia per negotiationem inueniri nequit; ideo Mercator maximè in talibus hallucinatur, quia quantò plus operatur, tantò magis elongatur à quæsito: idèd pone quòd Ælius habeat m. 1. co. igitur dos fuit 1000. duc. m. 1. co. quia habuit Lucretia duc. 1000. dotis p. facultatibus Ælij, quadra habebis p. 1. cen. ex parte Ælij, quia m. in m. facit p. & ex parte Lucretiæ 1000000. p. 1. cen. m. 2000. co. Detrahe censum Ælij ex censu dotis Lucretiæ, remanent 1000000. m. 2000. co. æqualia 20000. Igitur detrahe 20000. ex 1000000. remanent 980000. duc. æquales 20000 co. quare res valet 490. & tantum habuit m. Ælius in facultatibus suis, id est debiti sine aliquo capitali, detrahe 490. ex 1000. remanent 510. valor dotis, & tantum attulit Lucretia. Et si tales proponas Mercatoribus quæstiones, tunc agnoscunt errorem suum, & nota bene quòd quadratum m. est p. & cubus m. est m; & ideo dixit alius, quantum attulit Iulia dotis? respondit ille duc. 40. plusquam Sergius habeat in facultatibus. Iterum interrogauit ille quantum habuit Sergius in facultatibus? respondit alius, cubus duc. Sergij est 17920. duc. minus cubo ducatorum dotis Iuliæ. Quæritur quantum habuit vnusquisque; Pone quòd Sergius habeat 1. co. minus, igitur Iulia habuit 40. duc. m. 1. co. Cuba partes, habebis 1. cu. m. & 64000. p. 120. cen. m. 4800. co. m. 1. cu. detrahe m. 1. cu. facultatum Sergij ex m. 1. cu. dotis Iuliæ reliquantur 64000. p. 120. cen. m. 4800. co. æqualia 17920. Igitur habebimus 46080. p. 120. cen. æqualia 4800. co. quia eò quòd vna pars superabat alteram in 17920. igitur detracta parte & superatione detractio debet relinqui nihil. Igitur cum relinquuntur p. & m. oportet vt partes p. & m. æquiualeant ad hoc vt illud tale compositum sit nihil, reduc ad 1. cen. habebimus 384. p. 1. cen. æqualia 40. co. quare res valebit 16. duc. & tantum habuit m. Sergius sine aliquo capitali, detrahe 16. ex 40. remanet 24. duc. dos Iuliæ: vel potes dicere è contrà quòd Sergius habuit 24. duc. debiti, & Iulia 16. duc. attulit ei dotis, & verificatur in vtroque. Et similiter si dicat, inuenias numerum cuius 1. cu. æquatur 1. cen. p. 20. co. & 1. cen. æquatur 4. co. p. 32. Tunc scias quòd in

talibus si quæres per p. videbis impossibilitatem manifestam, sed dices conuertendo igitur 1. cen. p. 4. co. æquatur 32. & 1. cu. p. 1. ce. æquatur 20. co. Igitur res valet 4. & ideo nota conuersionem capitulorum p. & m. per subiecta illorum. Et si bene intellexeris hoc secretum, facies mirabilia. Et tu vides quòd si 1. cen. æquatur 4. co. p. 32. res valet 2. 36. p. 2. & si 1. cen. p. 4. co. æquatur 32. res valet 2. 36. m. 2. Igitur proportio valoris vnus ad alterum est veluti binomij ad suum recisum. Et hoc nota,

Trigesima quinta, Fiscus Mediolani sum- 35 pfit mutuo duc. 12000. ad 14. pro 100. ad rationem anni, ea conditione vt soluerentur, in 9. mensibus æqualiter quia assignationes sunt super vectigalibus à publicanis persoluendis singulo mense. Et hic qui dederit pecunias pactus est vt reciperet eas æqualiter singulo mense tantundem computatis redivisibus, & quòd reditus capitalis esset simplex & non ad caput anni. Quæruntur igitur duo, quot pecuniæ debent solui singulo mense, & pro quantum fuit pro 100. ista conuentio. Hæc & tales similes accidunt quotannis fermè Mediolani, vtinam non ita esset! & fuit re vera diebus proximè præteritis, & hoc modo est difficilis quæstio, & quidam conantur soluere per reductionem ad vnum terminum, & non est ita, nam esset in magnum damnum Fisci.

Propterea debes considerare quòd reditus singulo mense simplex est $\frac{1}{12}$ pro 100. quia est 14. pro 100. in anno. Igitur si 100. fit $101\frac{1}{6}$ in mense, 600. fient 607. in mense, Et ex consequenti lucratur $\frac{7}{600}$ capitalis. Quia igitur vsura nihil lucratur oportet vt tota solutio sit super capitale & vsura maneat in vltimo. Promerere igitur 600. ad menses vt vides non ponendo solutionem primi mensis, deinde accipe vltimum terminum qui est 600. m. 8. co. & ei iunge reditus 9. mensium qui sunt 63. m. $\frac{21}{50}$ co. fiunt 663. m. $8\frac{21}{50}$ co. æqualia 1. co. nam solutio vltimi mensis debet æquari aliis ex supposito, & in aliis soluit 1. co. igitur & in hoc vltimo mense soluet 1. co. & iam suppositum est quòd solueret residuum totum ex capitali & vsura, igitur tale residuum

Menses,	Capitale,	Vsura,
1.	600.	7.
2.	600. m. 1. co.	7. m. $\frac{7}{600}$ co.
3.	600. m. 2. co.	7. m. $\frac{14}{600}$ co.
4.	600. m. 3. co.	7. m. $\frac{21}{600}$ co.
5.	600. m. 4. co.	7. m. $\frac{28}{600}$ co.
6.	600. m. 5. co.	7. m. $\frac{35}{600}$ co.
7.	600. m. 6. co.	7. m. $\frac{42}{600}$ co.
8.	600. m. 7. co.	7. m. $\frac{49}{600}$ co.
9.	600. m. 8. co.	7. m. $\frac{56}{600}$ co.
	600. m. 8. co. p. 63. m. $\frac{21}{50}$ co.	Æqualia 1. co.

æquatur 1. co. quod vt dixi erat 663. m. $8\frac{21}{50}$ co. Igitur cum hoc æquetur 1. co. fient 663. æqualia $9\frac{21}{50}$ co. quare diuide nume- rum